

290 per tuam fidem perque huius solitudinem 55
 te obtestor ne abs te hanc segreges neu deseras.
 si te in germani fratri' dilexi loco
 sive haec te solum semper fecit maximi
 seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
 295 te isti virum do, amicum tutorem patrem ; 60
 bona nostra haec tibi permitto et tuae mando fide[i]."
 hanc mi in manum dat ; mors continuo ipsam occupat.
 accepi : acceptam servabo. *MY.* ita spero quidem.

PA. sed quor tu abis ab illa? *MY.* obstetricem accerso.

PA. propera. atque audin?

300 verbum unum cave de nuptiis, ne ad morbum hoc etiam . . 65
MY. teneo.

ACTVS II

CHARINVS BYRRIA PAMPHILVS i

CH. Quid ais, Byrria? daturne illa Pamphilo hodie nup-
 tum? *BY.* sic est.

CH. qui scis? *BY.* apud forum modo e Davo audivi.

CH. vae misero mihi !

ut animus in spe atque in timore usque ant(e)hac
 attentus fuit,

ita, postquam adempta spes est, lassu' cura con-
 fectus stupet.

305 *BY.* quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri 5
 quod vis,